

successu temporis non paucae *Declarationes* illi subpositae et falsae circumferri coeperunt, ut adeo mandato *Gregorii XV.* a. 1621. ejusmodi *Declarationum* Syllogae Indici Librorum prohibitorum adji- cendi fuerint, cautumque sit ab *Urbano VIII.* a. 1631. ne ulli earum fides habeatur, nisi manu et sigillo Cardinalis Praefecti et Secretarii Congregationis munitae. Antiquior his Constitutionibus est praesens Collectio, et ad calcem ita subscripta: *Has Declarationes descripsit et finiuit mense Junio Anno 1606. Laurenti Joannes Bruneau Leodiensis, Lector ibidem mensae, ex Exemplari Bibliothecae Lauretanae; Quae Declarationes obseruantur per omnia ab Ordinarijs et Vicarijs. De Seminario Clericorum episcopali sermonem hic esse putem. Declarationes ordinem Sessionum sequuntur, et Prima est in verba Sessionis IV. Et si regulares fuerint ultra examinationem &c. hujus tenoris: Congregatio censuit idem in concionibus obseruandum, etiam si concionatores ab ordinario fuerint approbati. De ipsa Congregatione adi, si placeat *Hinoldi Plettenbergii Notitiam Congregat. et Tribunalium Curiae Rom. Hildesii 1693. 8.**

DCCCCXLIII.

R. 3346

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 174. 4. min. partim lineis longis, partim per duas columnas, neque una manu, commode tamen exaratus, et minio di-

stinctus e pluribus Opellis coagmentatus est, ut sequitur: I. *Hec sunt statuta domini Gwidonis Cardinalis presbiteri.* Ad concilium *Salisburgense XXII.* celebratum *Viennae a. 1267.* mense *Majo* pertinent, cui praefuit hic *Clementis IV.* Legatus *S. Laurentii in Lucina* titulo Cardinalis *Vladislao* Archiep. nondum Sacris initiato. Ipsa *Statuta* extant in *Flor. Dalhami Conciliis Salisburg.* editis *Aug. Vindel. 1788.* p. 105. f. et alibi. Codex noster quandoque lectione differt.

II. fol. 5. *Hec sunt Statuta Friderici Episcopi Saltzpurgen.* In Concilio videlicet *XXIII.* a. 1274. *Kal. Novembr.* acto. Leguntur in *Concill.* mox cit. p. 117. Canonibus, ut in superiore, paullo aliter diuisis, et verbis quandoque diuersis.

III. fol. 9. *Hec sunt instituta Ven. domini Friderici Archiepiscopi Ecclesie Saltzpurgen. A. S. L. Instituta in prouinciali concilio Saltzpurgen. Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXXIX<sup>o</sup>.* Omitte ultimum X. ad annum enim 1281. pertinent, et habentur l. cit. p. 126.

IV. fol. 12. *Hec sunt constitutiones domini Johannis episcopi Tusculani a. f. 1.* Extant apud *Harzheimium T. III. Concill. Germ.* p. 725. conditae in Concilio *Wurceburgensi* a. 1287. *Mense Marcii,* ut habet ad calcem Codex, *Post Letare ierusalem.* Nec hic varia deest lectio. Ita *Can. X. pro Presbyteris duas communicaturas recipere,* Codex legit *Plebanos duas*

duas recipere uicarias. et Can. XXXIV. pro *Leccatores* seu reprobatos *Apostolos* habet *Rectores*; minus quidem recte; interim tamen, quid *Leccatores* sint, *Harzbemius* non explicat. Ego non *Scurras* et *Parafitos* a nostro *Lecken* arbitror, qualem enim hi *reprobata* *Regulam*, aut *insolitum habitum* sequerentur, quod ait *Canon*, verum *Clericos* aut *Monachos* vagabundos, alias *Sarabaitas* dictos, aut *Gyrovagos*, ab antiquato *Läcken*, quod *Curfitare*, *Saltare* significabat.

V. fol. 20. *Hec est constitutio*, domini *Bonifacii pape*. Haud dubie VIII. *Data apud sanctum Petrum VI. Kal. Marcii Pontificatus Anno secundo*, itaque a. 1296. Non inveni in *Bullario magno*. Incipit: *Clericis laycos infestos opido tradit antiquitas, quin et presentium experimenta temporum manifeste declarant — imponunt onera grauia, ipsosque talliant et eis collectas imponunt, ab ipsis suorum prouentuum uel bonorum dimidiam, decimam uel uicesimam, uel quamuis aliam portionem aut quotam exigunt &c.* Id igitur deinceps et exigentibus et dantibus sub anathemate prohibetur. Mirum hic occurrere voces *Talliare*, *Stagiare*, *Saisire*, quae gallicae potius originis sunt, et in *Cangii Glossario* exponuntur.

VI. fol. 21. *Hec sunt constitutiones domini Chunradi Archiepiscopi Saltzpurgen*. Editae in Concilio XXVI. a. 1291. numero tantum Tres, et relatae in *Concill. Denis Codd. Theol. V. II. P. III.*

*suprac. p. 139. Can. II. ubi Dalhamius et etiam Harzbemius legunt: quam extra Salisburgensem — Gaizensem Archidiaconatus extendi ad praesens volumus, Codex habet fortasse rectius nolumus, item Garzensem, quod pariter probabilius videtur, siue Garsum in Austria intelligas, seu scribendum erat Gurcensem in Carinthia.*

VII. fol. 22. p. 2. *Constitutiones Synodales domini Iohannis Episcopi Brixinensis Ecclesie facte anno domini. M°. CCC°. XVII°. In die Othmari. In Harzbemii Conciliis non reperiō, et Reschius non perduxit Annales suos usque ad hoc tempus. Iohannes hic a. 1319. ad Bambergensem atque deinceps ad Frisinganam Sedem translatus fuit. Capitula V. hic statuta priuant ecclesiastica sepultura et suffragiis fidelium eos, qui annos discretionis ingressi de peccatis non fuerint confessi, qui absque confessione in manifesto peccato mortali obierint, qui iniuste detinent aut occupant res alienas una cum heredibus consciis, qui usuras exercent qui in excommunicatione majori decesserint. Eorum promulgationi per singulos annos assignantur Dominicae tres ante Festum OO. SS. tres ante Nat. Domini et tres in Quadragesima. Initium est: Nos Iohannes &c. Ne pretextu ignorantie quisquam subditorum nostrorum uelamen excusationis assumat &c.*

VIII. fol. eod. *Illustri domine &c. Frater thomas de Aquino ordinis*

2341

C O D I C E S

2342

*dinis fratrum predicatorum salutem &c. Excellentie uestre recepti literas ex quibus et piam sollicitudinem &c. Domina haec Margarita est Comes Flandriae, quae Thomam, quomodo habendi sint Iudaei, consuluerat, unde Responsum hoc in Editionibus inscribitur: de Regimine Iudaeorum, et est in Edit. Rom. 1570. T. XX. Opusculum 21. f.*

*IX. fol. 48. Fratris Sybotonis ordinis predicatorum. Quid vero? Psalmus Miserere versiculatim expositus hoc initio: Septem sunt defectus impellentes hominem ad querendam misericordiam dei &c. ut jam hoc Vol. retuli. Vide Indicem.*

*X. fol. 109. Triga Sermonum: De VII. Donis Spiritus S. De Passione Domini. De Eiusdem Nativitate, quibus immorari operae pretium non fert.*

*XI. fol. 114. Tractatus minutissime exaratus de Virtutibus, primum in genere, dein de Theologicis, tum de Cardinalibus, demum de Donis s. Spiritus, Beatitudinibus evangelicis &c. Autor tacetur. Initium est: Virtus sine studio sui esse non potest. Bernh. Primum opus uirtutis est docere. Virtus cum humilitate uult doceri, cum labore queri, cum amore haberi &c. Opus non absimile Tractatui Guilielmi Alverni de eadem materia.*

DCCCCXLIV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 631 XIV. Folior. 31. 4. min. fat nitide perscriptus, et rubricis distinctus complectitur, ut e calce praeoccupo, *Statuta prouincialis Concilij Moguntini per nos P. (etrum) dei gratia Sancte Moguntine Sedis Archiepiscopum presentibus nostris confratribus et suffraganeis celebrati. Anno Domini M. CCC. Decimo feria secunda post dominicam qua cantabatur Jubilate quibus nostrum Sigillum duximus appendendum.* Ex his verbis, quae nemo recitat, Exemplum istud ad *Αυτογραφον* aliquod descriptum fuisse videtur, quale non contigit editori Harzbemio, qui T. IV. *Concill. Germ.* p. 224. fatetur, se ad rursus publicanda haec *Statuta* non nisi impressis Exemplaribus usum fuisse. Norat ille tamen Codices *ms.* tres, et Editiones quinque. Unde mirari subit *Nic. Serarium*, qui L. V. *Rev. Mogunt.* c. 39. hujus Concilii vix paucula superesse censuit. Addamus nos etiam *Collectionis Concill. Labb.* editionem *Venetam*, cujus T. XIV. ad col. 1479. insertum est. Ordo porro Decretorum in nostro Codice in eo solum abit ab *Harzbemiano*, quod in *Libros* diuisa non sint, et Decretum contra *Beghardos et Beginas*, quod ibi p. 200. habetur, nobis fol. 17. p. 2. tribus sequentibus Decretis postpositum legatur, et aliquoties duo Decreta confluerint in unum, aut unum in duo sit tributum. Major